



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 2. De mari Supero.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

## §. 2. De Mari supero.

MARE *superum* sic appellatum est, quod Italiæ parti Boreali incumbit; quoniam apud Geographos Septentrio pars dicitur *Superior*, ut *Meridies* nominatur *Inferior*, nisi fortè habeatur ratio Maris, aut maioris alicuius fluuij. De limitibus autem, & amplitudine maris superi tres inveniuntur sententiæ.

*Prima* eaque communissima *Siculo Freto* mare Superum & Inferum diuidit. Ita ferè omnes Geographi, & Historici.

*Secunda* est Marciani Capellæ lib. 6. distinguentis duo hæc maria per urbem *Hydruntem*.

*Tertia* est Plinij lib. 3. cap. 26. per *Iapygiam* Prom. hæc maria determinantis: qui tamen parùm constanter in hoc negotio videtur locutus; ut ante me Cluuerius obseruauit.

## §. 3. De Sinu Adriatico, seu Ionio.

MARE supra Italiam terras subiens *Sinus Adriaticus*, vulgò à veteribus dictus est, ab Scylace & Eustathio *Ionius Sinus*. Quamquam Plinius & Mela primam eius Sinus partem, seu Meridionalem *Ionium*, secundam & interiorem *Adriaticum* appellent. Iam illius fines consideremus.

De INITIO huius Sinus quatuor sententiæ reperiuntur.

*Prima* est Scylacis hunc Sinum inchoantis à *Iapygiâ*, seu *Salentino* Promontorio, & montibus *Acrocerauniis*.

*Secunda* Plinij lib. 3. cap. 11. inter *Hydruntem* & *Apolloniam*, ubi breuissimus ex Italiâ in Græciam transitus, atque ubi Pyrrhus Epirota primùm, deinde Varro Classis Pompeianæ præfectus iter pedestre, iactis molibus, continuare voluerunt.

*Tertia* Polybij assignantis *Cocynum* Pro. hodie *capo de Stillo*.

*Quarta* denique Ptolemæi lib. 2. cap. 17. & lib. 3. cap. 1. incipientis hunc Sinum à *Gargano* monte in Italia, & *Lisso* flumine in *Illyride*.

De FINE quatuor quoque leguntur sententiæ.

*Prima* est Procopij 2. Gothicorum claudentis *Ionium Sinum* ad *Rauennam*.